

908

debemus in, vel ex gratia, QVÆ EST IN CHRISTO: v. i.
non igitur hæc gratia nobis contingit præter Christum, Christi-
que meritum, non extra Christi meritum, sed potius intuitu me-
riti Christi, in quo nobis omnis contingit benedictio, juxta pro-
missiones patriarchales, in semine tuo benedicentur omnes gen-
tes Gen. XII. 3. hinc Paulus exclamat Eph. I. 2. Gratia vobis, & à
DEO Patre nostro, & Domino Iesu Christo: Benedictus DEUS
& Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni be-
nedictione spirituali in cœlestibus IN CHRISTO. Nec (2) ra-
tione absoluti decreti, quæ Calvinianorum est sententia, quasi
vid. DEUS Pater absolute decreverit, solis Electis dare Christum,
& media salutis, ac inter ea Mnemosophian quoq; Paschalem:
Nam DEUS Christum, & resurrectionem ejus dedit omnibus
hominibus, offert Mnemosophian paschalem adhuc Electis atq;
reprobis, & sicut l. dare dicitur intellectum non per immediatam
illuminationem, sed per hanc Paulinam concionem, siquidem hoc
etiam verbum est lux illuminans Psal. XIX. 9. lucerna pedibus
nostris, & lumen semitis nostris, CXIX. 105. lucerna splendens
in loco caliginoso cordium nostrorum II. Pet. I. 19.

10. (II) DEO Filio, siquidem huic etiam jure meritisimi-
mo Mnemosophias paschalis causalitas principalis competit: Pa-
tet hoc tum ex v. 1. quia per hanc Mnemosophiam spiritualem
confortamur in, & à Christo; tum ex v. 2. quia per eandem mili-
tare debemus in Christo, sicut boni milites Iesu Christi, contra
Satanam, mundum, peccatum, mortem, infernum, & omnes ho-
stes spirituales. Christus per & propter resurrectionem suam
mysticum conscribit exercitum, Imperatoris partes ipse susci-
pit, nos per resurrectionis suæ memoriam fortes & robustos red-
dit, masculè cum ipso, per ipsum, in ipso pugnantes efficit, &
in fide nobis victoriam concedit I. Joh. V. 4. Christi victoria
nostra victoria, resurrectionis Christi memoria paschalis nostra
victoria, spiritualis vincentium gloria: tum quia sic in memoria
resurrectionis Christi certantes coronam v. 5. nam qui certat in
agonie, non coronabitur, nisi legitime certaverit: Christus vero dat
certaminis pugnam, pugnae victoriam, victoriae coronam, sicut